



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Sectio j. Dubitationis Resolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

in his verbis: *Moniales subiecta iurisdictioni Regularium exemptorum, si sine licentia Ordinarii egressi fuerint à Monasteriis, debent ipsa, & ipsarum superiores, de quorum licentia de Monasteriis egressi fuerint, per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia ab eorum Ordinario puniri, non obstantibus quibuscumque privilegiis, &c.*

Dices, Motum Pij V. requirere in Monasteriis exemptis, quæ subduntur Regularibus Superioris Monasterij, & Episcopi licentiam coniunctim in iis tribus casibus, quos ibi Pontifex enumerat, non autem in aliis casibus: & ideo in aliis casibus sufficere tantum licentiam Superioris Monasterij. Sic nonnulli Doctores, inter quos Confectus de privileg. Ordinum Mendicantium, tit. 20. cap. 4.

4 Sed contrà, quia absurdum est dicere, Pontificem requirere in Monasteriis exemptis (quæ subduntur Regularibus) Superioris Monasterij, & Episcopi licentiam coniunctim in iis tribus casibus, qui ab ipso Pontifice, tanquam iusti, approbantur, & sic certis; & non requirere utriusque, sed tantum Superioris Monasterij licentiam in aliis casibus, qui per similitudinem, vel extensionem à Doctoribus tanquam iusti approbantur, & sic non certis, sed dubiis.

Dices secundò, Motum Pij V. intelligi de Monasteriis exemptis, quæ subduntur non solum Generalibus, & Prouincialibus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, sed etiam subduntur Superioribus Monasterij inferioris talem iurisdictionem quasi Episcopalem non habentibus: consequenter in talibus Monasteriis non sufficere Superioris immediati licentiam, sed requiri etiam licentiam, & approbationem Generalis, vel Prouincialis (cum hi quoad iurisdictionem sint Episcopi Monialium sibi subiectarum) non tamen item Episcopi: sic Rodriguez cit. quest. 46. art. 6.

5 Sed contrà, quia absurdum est dicere, Pontificem ibi per Episcopum, & Ordinarium intelligere Generalem, vel Prouincialem iurisdictionem quasi Episcopalem habentes; sicut constat ex iis verbis: *Præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumbet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiam si prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinarium iurisdictione exempta esse reperiamur: nam cum ibi dicatur: Præter alios Ordinum Superiores, clare Pontifex omnes Superiores, & non solum immediatos includit: & cum subdatur, Per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, clare Pontifex non intelligit Superiorem Regularem; non enim Superior Regularis dicitur loci Ordinarius: tum quia sequeretur, quod in his Monasteriis requireretur præter licentiam Generalis, vel Prouincialis licentia Superioris immediati, seu localis; cum Pontifex ibi requiratur licentiam Episcopi, & Superioris Monasterij, quod tamen Rodriguez non admittit. Et verè (remotis Religionis Constitutionibus, quæ sic statuunt) non est ratio, cur solum Generalis, vel Prouincialis hanc licentiam dare possit, & non possit Superior immediatus, seu localis; cum & hic iurisdictionem quasi Episcopalem habeat, sicut & ille; quamvis non item possit Abbatis, utpotè quæ præcepto clausuræ obstringitur, sicut & cæteræ Moniales: sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Rodriguez loco cit. quest. 46. art. 2. & Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 3. num. 9.*

7 Dices tertio, Motum Pij V. non esse vsu receptum, & ideo per non vsum vires obligandi amisisse.

Sed contrà, quia licet id verum sit in aliquibus locis, ut in Hispania, teste Rodriguez quest. 47. art. 11. & Lezana cit. num. 21. non tamen verum est in omnibus locis, sicuti patet ex dictis supra. In locis tamen, in quibus prædictus Motus Pij V. vsu receptus non est, concedo, quod quoad Monasteria exempta non

sit opus licentia Episcopi, sed sufficiat licentia Generalis, aut Prouincialis, aut Superioris localis, iurisdictionem quasi Episcopalem habentis. Nauar. & Azor. locis supra cit. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 9. n. 13. Llamas in Append. §. 5. Miranda de Monialib. quest. 3. art. 6. conclus. 1. & Bonacina de clausura, quest. 1. punct. 8. num. 1.

8 Ex dictis sequitur, quod non sufficiat licentia Abbatis, quia ipsa etiam clausuræ præcepto obstringitur, sicut Moniales; tum quia Motus Pij V. loquitur de Superioribus Ordinibus, ibi: *Præter alios Ordinum Superiores*. Doctores quos citat, & sequitur Rodriguez tom. 1. 99. Regular. quest. 46. art. 2. & Bonacina num. 1. cit.

9 Sequitur etiam, quod licentia egrediendi è Monasterio debeat esse in scriptis, quia sic expressè iubet Pius V. in dicto motu, *Decori, & honestati*: tum quia cum Tridentinum dist. sess. 25. de Regularibus, cap. 5. exigit licentiam ingrediendi in Monasteria Monialium in scriptis esse, signum est, quod multò magis exigit in scriptis esse licentiam egrediendi ex illis; cum longè grauius quid sit, Monialem egredi ex Monasterio, quàm personam secularem ingredi in illud. Nauar. quest. 3. art. 6. conclus. 2. & Suar. de Relig. libro 1. cap. 9. num. 16.

Cæterum, an si licentia non sit in scriptis, vel saltem verbotenus obtenta: item si non sit legitima, sed fraude, vel fauore impetrata, Monialis egressus è Monasterio sit illicitus, & censuras subiectus, dicam infra dubit. 37. & 55.

DVBITATIO VIII.

An dare licentiam egressus è clausura, & causam egressus approbare, spectare possit etiam ad Vicarium?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

- 1 Vicarius Generalis, & Vicarius foraneus potest dare licentiam egressus è clausura, & causam egressus approbare.
- 2 Episcopus potest sibi solum reservare dare licentiam egrediendi è clausura, & potest etiam eam committere Vicario foraneo, & cuius maluerit.
- 3 Nomine Ordinarii in omnibus decretis venit Vicarius Generalis, non item foraneus.
- 4 Vicarius Generalis habet unam, eandemque iurisdictionem, & constituit unum, & idem Tribunal cum Episcopo.
- 5 Clausuram Monialium inducere spectat ad Episcopos, ut Sedis Apostolica Delegatos, non item quod Moniales è clausura egredi non possint; quia Concilium loquitur simpliciter de Episcopo, & consequenter extendi etiam potest ad Vicarium.
- 6 Vicarius Generalis Capituli, sede vacante potest circa clausuram Monialium quidquid potest Vicarius Episcopi; idem dic de Vicario cuiuscumque Prelati iurisdictionem quasi Episcopalem habentis, & de Vicario Generalis Ordinum militarium.
- 7 Prelati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes possunt in Monasteriis exemptis quidquid possunt Episcopi.

§ Capitulum

8 Capitulum Sede vacante probabilis est quod possit in Monasteriis exemptis circa clausuram, quidquid poterat Episcopus.

- 1 Respondetur affirmativè, si loquamur, non de Vicario foraneo, sed de Vicario Generali. Armen-dariz in addit. ad recopilat. legum Navarra, lib. 2. de Relig. num. 109. Barbosa de offic. & potest. Episc. allegat. 102. num. 38. Lezana verb. Clausura, num. 24. Et probatur, quia licet Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 5. iubeat, licentiam esse ab Episcopo approbandam, hic nomine Episcopi venit Vicarius, si non foraneus (nisi huic talem facultatem commiserit) saltem Generalis (nisi huic dictam facultatem abstulerit, eam sibi referendo.) Siquidem Pius V. in Motu proprio, *Decoris, & honestatis*, loquens de eo, qui talem licentiam dare debeat, explicuit Episcopi, aut alium loci Ordinarium: nomine autem Ordinarii in omnibus decretis venit Vicarius Generalis, non item foraneus. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez de matrimon. lib. 5. disputat. 29. num. 35. Iacob. Sbroz. de Vicario Episcopi lib. 2. quest. 55. num. 9. licet sibi contrarius videatur quest. 201. num. 4. Bonacina de clausur. quest. 1. punct. 8. num. 2. Layman, lib. 4. in cl. 5. cap. 12. num. 1. & Diana part. 3. tractatus 2. resol. 48. tum quia quotiescunque Tridentinum loquitur de Episcopo, & res non est aliena ab eius Vicario generali, & non excipitur idem eius Vicarius Generalis, de facto nomine Episcopi comprehendit Vicarium Generalem. Glossa, Felinus, & alij Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez loco supra cit. num. 16. tum quia Vicarius Generalis habet vnam, eandemque iurisdictionem, & constituit vnum, & idem tribunal cum Episcopo, consequenter habet sibi subiectas Moniales, quas auctoritate propria subiectas habet Episcopus. Nauar. lib. 3. consil. 6. & consil. 9. num. 2. de sum. Mona. & Llamas in Append. 5. s. vbi idem docet de Monialibus subiectis immediatè Pontifici; licet in his possit esse aliqua difficultas, quia in ordine ad has egressus licentiam dare, & causam approbare, competit Episcopo, vt delegato ex auctoritate Sedis Apostolicæ delegata, in quo casu nihil posse videtur Vicarius, licet Generalis. At quidquid sit de hac ratione, dici tamen potest, Concilium dare quidem facultatem Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, ad induendam clausuram in Monasteriis Sedi Apostolicæ subiectis; sed cum præscribit, quod Moniales clausura egredi non possint, loquitur simpliciter de Episcopo, cuius iurisdicção competit etiam Vicario Generali, nisi excipiat, vel nisi res aliena sit ab eius officio, sicuti supra dicebam.
- 2 Quod dixi de Vicario Generali Episcopi (quod scilicet possit egressus licentiam dare, & causam approbare) idem dico de Vicario Generali Capituli Sede vacante, & cuiuscunque Prælatis iurisdictionem quasi Episcopalem in diocesi aliqua habentis, & de Vicario Generali Ordinum Militarium, quia hi etiam nomine Ordinarii veniunt: Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez citat. disputat. 29. num. 45. Barbosa 3. part. allegat. 102. num. 28. ad finem, Bonacina, & Layman in locis supra citatis. Idemque dico de Præfatore nominato à Capitulo. Barbosa, & Lezana vbi supra, & Tamburinus de iure Abbat. disputat. 23. quest. 2.
- 3 Item quod dixi de Episcopo (quod scilicet possit, etiam Monialibus Sedi Apostolicæ immediatè subiectis, licentiam dare) idem dico de omnibus Prælati iurisdictionem prædictam quasi Episcopalem habentibus; quia hi quoad iurisdictionem sunt Episcopi in sua diocesi. Sanchez, & Layman locis citatis.
- 4 An autem hoc idem possit dici de Capitulo Sede vacante.
- 5 Respondetur quod licet negandum videatur, quia

Capitulum Sede vacante non succedit in iurisdictionem Episcopo delegatam, tanquam Sedi Apostolicæ delegato, Doctores quos citat, & sequitur Sanchez de matrimon. lib. 8. disputat. 2. num. 12. tamen adhuc, hoc non obstante, probabilis sit oppositum: sic Sanchez, & Layman supra, & probatur, quia Moniales hæ non debent esse sine Prælato, ad quem confugiant. Qua ratione motum Tridentinum Concilium sess. 25. de Regular. cap. 9. & qua ratione motus Pontifex in cap. periculoso, & in Motu Decoris, & honestatis, præceperunt, eas esse sub cura Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis; quæ necessitas etiam militat in Capitulo Sede vacante, cum sæpe diu vacet, & sæpe contingant similes occasiones in Monialibus.

SECTIO II.

Corollaria.

SUMMARY.

- 1 Vicarius Generalis est Index Ordinarius subditorum Diocesis.
- 2 Vicarius Generalis potest Diocesanorum omnium confessiones audire, eorumque matrimonii valide assistere, & eiusmodi facultates etiam aliis sacerdotibus delegare.
- 3 Vicarius Generalis potest in foro externo contentiosas causas cognoscere, præcipere, iudicare, atque etiam excommunicare.
- 4 Vicarius Generalis (attento iure communi) non potest concedere meras, & voluntarias gratias, cuiusmodi sunt collatio beneficiorum, dispensatio in irregularitatibus ex occulto delicto, denunciationibus, matrimonii, &c.
- 5 Episcopus non prohibetur tribuere Vicario Generali maiorem facultatem, quam is habeat de iure communi.
- 6 Nulla consuetudine introduci potest, vt à Vicario Generali ad Episcopum appelletur.
- 7 Appellatio esse non potest ab eodem ad eundem.
- 8 A Vicario Foraneo, seu Decano rurali potest appellari ad Episcopum.
- 9 Vicarius Generalis iurisdicção, mortuo, vel deposito Episcopo expirat.
- 10 Delicti iurisdicção ob mortem delegantis statim expirat quoad negotia ceptæ.
- 11 Vicarius Generalis mortuo Episcopo non potest exercere iurisdictionem, nisi sit à Capitulo confirmatus.
- 12 Vicarius Generalis iurisdicção extinguitur, vel per mortem Episcopi, vel per mandati reuocationem: per mortem statim, per reuocationem verò, si ei fuerit legitime intimata.
- 13 Vicarius Generalis acta, & littera dimissoria ab eo data valent etiam mortuo Episcopo, si communiter eius mors ignoretur, licet mors Episcopi præcesserit.
- 14 Iurisdicção Vicarii Generalis suspenditur solum, non autem omnino amittitur per Episcopi excommunicationem, vel suspensionem.
- 15 Delegati iurisdicção non cessat ob excommunicationem delegantis, si causa integra non sit, sed ceptæ.
- 16 Vicarius propriè dictus Episcopi, Prælatis, Præfatis, vel Rectoribus, ab ipsis constitutus ad exercendam iurisdictionem, pro eorum arbitrio deponitur, secus est, si Vicarius datus sit in subsidium Principalis Prælatis.